



Universitätsbibliothek Paderborn

Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo aeuo doctiss. ... Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem
Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ;
Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Iohannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd
Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctissimi Secvndæ Partis Chronica
Insignia Dvo - I. Coenobii Hirsavgiensis, Diœcesis Spirensis: eius
foundationem & progressum ab Anno Christi DCCCXXX. vsque ad Annum
MCCCLXX. II. Coenobii ...

Trithemius, Johannes

Francofvrti, 1601

LXI. Iohannes Trithem. Georgio Sibvto poetæ laureato Salutem.

urn:nbn:de:0128-1-17336

*Sollicitis animis onus eximit, ac docet artes,
Fœcundi calices quem non fecere disertum?*

Nihil est in Dæmonibus (vt Chrysoſtomus ait) ſicut ebrietas & laſciua, quæ eſt mater omnium vitiorum, placidum & amicum, & nihil adeo cõtrarium ſicuti ſobrietas, quæ eſt mater omnium virtutum. Quid aliud ebrietatem putabimus quam voluntariam hominis inſaniam, quæ mentem euertit, memoriã tollit, obliuionem inducit, debilitat corpus, animam occidit? Nemo vino & ebrietati deditus vir bonus eſſe poterit vnquam, neque ſapiens, neque doctus, neque fidelis, neque vtilis alicui neque honore aliquo, neque memoria dignus. Tu ergo, Buſchi, fuge omnes animi peſtes, vinum & venerem maxime, quorum vſu nimio virtus enervatur omnis, mens cæcutiat, & fama in opprobrium cunctis exponitur. Parce oculis tuis, qui vtroque malo te nimium volente, percuſi, fluxu & rubedine iam pene deſtructi ſunt. Parce rebus & ſubſtantia, quam docendo laborioſe acquiris, ne ſenior factus mendicare cogaris. Memento quod ſicut poeta dicit. Vino forma perit, vino corrumpitur ætas. Vino ſæpe ſuum neſcit amica virum. Et quod Ariſtoteles dixit, quin non de facili poteſt inuadi qui eſt ſobrius & vigil, ſed qui ebrius eſt & dormiens, mortuo ſimilis, facile capitur. Admonitionib. noſtris & parcas, & acquieſcas oramus: tu enim quod te diligamus non ignoras, & nos quod freno indigeas ſcimus. Circa feſtum dominicæ Aſcenſionis redituri ad Rhenum tecum largiente Domino conſtituemur, latius de his quæ menti noſtræ inſunt collaturi tecum. Interea vale ſanus. Ex Berlin prima die Martij anno 1506.

L X.

IOHANNES TRITHEMIUS ABBAS SPANHEMENSIS, CON-
rado venerabili Abbati monaſterij ſanctorum Vdatrici & Afre
in Auguſta, Salutem.

ORTA poſt cruentiſſimum Palatinum bellum in me quorundam hominum inuidia propter ipſum principẽ meum, cum eſſem apud eum Heidelbergæ, ad ſextum diem menſis Aprilis, ne quid ſequeretur deterius à monaſterio meo ad tempus me placuit elongare. Interea Rex noſter Maximilianus conuentum apud Coloniam Agrippinam ad caput menſis Iulij principibus indixit, quo & ego vocatus per certos principes nauigio deſcendi. Soluta tandem poſt dies 30. conſilio, principibusque ad ſua reuertentibus, ego cum ſereniſſimo principe electore Ioachim Brandenburgenſium Marchione, de conſenſu principis mei Palatini ſenioris ſæpe & multum rogatus Marchiam intraui, Priori meo interim regimine monaſterij Spanhemeniſis commiſſo. Et nunc quidem hic ſum proſopitum habens poſt feſtum reſurrexionis dominicæ reuertendi ad propria, & iuxta rerum diſpoſitarum ordinationem ſicuti inuenero, vel mutare vel continuare cõſilium. Veniſſem quam libens Auguſtam ad prouincialem ordinis noſtri conuentum, ſi Princeps vt ante Paſcha hinc abirem, annuiſſet, ſperaremque rebus meis bonum conſilium apud patres inuenire. Sed quia morem gerere tanto principi neceſſe eſt, tuæ paternitati vices meas duxi committendas, vt iuxta procuratorij tenorem, quod anno priore, cum propter bellum inter ciperetur conuentus patrum prouincialis, ad te cum pecunijs miſeram, agas, & pro me coram præſidentibus compareas, meoque nomine ſingula, iuxta conſuetudinem ordinis perficias, & neceſſariam mei abſentiam reddas excuſatam. Quod vt velis faciasque mutuz inter nos amicitia intuitu, te etiam atque etiam rogo. Si quid me ſcire tuarum volueris cogitationum, reſcribere, ipſasque literas tuas huic nuncio principis mei trade, quoniam proficiens ad Saltzburgam, expedita legatione ſua ad nos per Auguſtam reuerſurus eſt. Rationis noſtræ tranſactæ præſidentia chirographum abbati Nurenburgenſi memineris conſignandum. Vale ex Berlin, 24. Martij anno 1506.

L X I.

IOHANNES TRITHEM. GEORGIO SIBVTO
poetæ laureato Salutem.

AVDIVIMVS te cum Hermanno Trebellio iniſſe certamen; quod non feciſſes melius iudicaremus. Tuæ non congruit ætati ſcriptis laceſcere ſenes, & pro lana caprina (vt quidam ait) gerere bellum. Magis te iuuenem deect audire ſeniores, & diſcere ab eis, non contemnere aut inuidere melioribus, etiam ſi melius ſapias. Verificatur in te Heſiodi poetæ ſententia dicentis:

καὶ κεραμῆς κεραμῆς κοτίει καὶ τέκτονι τέκτων
 καὶ πτερωτῆς πτερωτῆς φθονίει, καὶ αἰοῖδ' ὁ αἰοῖδ' ὅ
 Et figulus figulum odit, & fabrum faber,
 Et pauper pauperi inuidet, & poeta poeta.

Est autem pessimum malum inuidia, neminem plus lædens quam suum auctorem, superbia filia, venenum mētis lethiferum, quo diabolus maxime reus primum hominem supplantauit. Sed attende quid scriptura dicat, *Paruulum*, inquit, *occidit inuidia*, quod sanctus Papa Gregorius explicaturus dicit: *Inuidere non possumus nisi eis quos nobis in aliquo meliores putamus. Paruulus itaque est qui inuidia occiditur, quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret. Nullum inuidia monstrosius, nec aliquod damnosius damnum, quæ dicenda est merito errore & cecitatis abyssus, humana mentis infernus, contentions stimulus, corruptionis aculeus, & diabolica obstinationis introitus. In suum auctorem grauius tendit inuidia, & mentem vnde sumit exordium, ut vipera necat parentem, per quam diabolo fallente mors primum intravit in orbem terrarum.* Hinc Salomon auditorem instituens beneuolum in prouerbij dicit: *Nec comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius.* Inuidia enim cuncta bona deuorat ardore pestifero, animam turbat, sensum comedit, peccatus vrit, mentem adfligit, cor hominis quasi quadam pestis depascit. Ignis inuidia est inextinguibilis. Nam sicut tinea comedit vestimentum, sic & inuidia eum qui zelatur consumit. Cauere magis amicorum inuidiam Seneca monet, quam inimicorum insidias. Si non inuideris, maior eris. Nam qui inuidet, minor est. Alienum bonum malum suum inuidus facit, quod malum longe est a viro docto, sapiente & bono. Misera sola caret inuidia. Vnde magis pati quam agere in inuidentiâ expedit. Si vis carere inuidia noli venari gloriam lucubrationibus vanam, sed tuum imitare Tibullum in quarto dicentem.

*Nil opus inuidia est, procul ab sit gloria vulgi.
 Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.*

Modestum te in omnibus exhibeas, & eris sine inuidia gloriosus. Est autem modestia virtus moderatrix animi passionum, gratum & spectabile cunctis hominibus reddens inuentibus, ut sermones proferat libra iustitiae examinatos, sitque grauitas in sensu, & potus in verbis modusque. Non decet viros, literarum studio deditos, contentiones inferuire, & rebus utilioribus neglectis pro inutili sermone committere bellum, quo & mentes præceptorum a rectitudinis euelluntur statu, & auditorum corda ne ad sapientie pertingant arcana, nube vanitatis obnubilata fiunt. Eius viri doctrinam libenter omnes admirantur, collaudant, laetique suscipiunt, in cuius oratione modestia refulget simul & grauitas, ubi nulla contentio aulationis prauæ, nullus fastus cernitur superbia, sed cum dulcedine, vocis, mentis, & oris exhibetur tranquillitas, & amica sapientiae coruscant humilitas. Nullus enim sapiens superbus & arrogans esse potest, qui autem elatus & superbus existit, sapiens non est. Maxima nobis humilitatis causa mortalitatis nostræ conditio est, superbia vero nullam penitus causam habemus. Quid enim scimus o poeta, nisi homines, breui necessario morituri? vento & umbræ similes, ut Sophocles dicit in Aiace:

ὄρω γὰρ ἡμᾶς οὐδ' ἐπιόντας ἄλλο πλὴν
 εἰδ' ἄλ' ὅσοι σπέρματι, καὶ οὐδ' ἐν σείαν
 Video enim nos nihil esse aliud, præter
 Simulachra, quotquot viuimus, seu leuem umbram.

Punctum est, inquit Seneca, quod viuimus, & adhuc puncto minus. Sed hoc minimum specie quadam longioris spacij natura diuisit, aliud ex hoc infantia fecit, aliud pueritiam, aliud adolescentiam, aliud inclinationem quandam ab adolescentia in senectutem: à senectute vero ad pueritiam quandam statuit regressum, per quem omnia morte concluduntur. Quid aliud est homo quam sperma foetidum, faecales stercoreum, & cibus? Post hominem erimus cadaver putridum, ex caduere, vermes, post vermes scætorum pessimus & horror maximus. Et sic in hanc speciem vertitur omnis homo. Nam sicut in Ecclesiasta Salomon dixit: *homo sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic nudus reuertetur in terram, & nihil auferet secum de omni labore suo.* Misera bilis proflus infirmitas hominis, quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo proderit ei quod laborauerit in ventum? Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis & erumna & tristitia. O fallacem hominum spem, Cicero clamat, fragilemque fortunam, & inanes nostras conceptiones, quæ mediocri in spacio læpe franguntur & corruunt, & cum ipso cursu ante obruuntur quam portum conspicerent valuerint. Finem ergo tuum, Sibute, semper cogita, teque cognosce mortalem, nec mente superbiam malorum omnium matrem contigeris vquam. Sunt enim inexorabilia fata, & sicut Martialis inquit,

AS SPANHEMENSIS, COE
 in eorum Valrii & As
 tem.

m in me quorundam hominum inuidia
 pud eum Heidelbergæ, ad sextum diem
 asterio meo ad tempus me placere ob
 cum apud Coloniam Agrippinam ad
 catus per certos principes nauigio deli
 usque ad sua reuertentibus, ego cum
 argensium Marchione, de consuetudinibus
 as Marchiam intraui, Priori meo intem
 nunc quidem hic sum propositum ho
 endi ad propria, & iuxta rerum dispo
 el continuare consilium. Venisse enim
 conuentum, si Princeps videret
 bonum consilium apud patres inuenire
 st, tuæ paternitati vices meas dum con
 anno priore, cum propter bellum in
 um pecunijs miseram, agas, & prope
 e singula, iuxta consuetudinem eodum
 culatam. Quod ut velis faciasque mita
 rogo. Si quid me scire tuarum vici
 ic nuncio principis mei trade, quoniam
 sua ad nos per Augustam reuertens et
 phum abbati Nurenburgensi membra
 506.

GEORGIO SIBUTO
 alutem.

inijisse certamen, quod non fecisse
 scriptis lacessere senes, & pro lana curam
 ni deest audire seniores, & discere ab eis
 si melius sapias. Verificatur in te Hæc

Lanificas nulli tres exorare puellas

Contigit, obseruant quem statuere die m.

Omnes morimur, & quasi aquæ in terram dilabimur, quemadmodum & ille dixit: Debemur morti nos, nostraque mortalia facta peribunt, estque mors vltima linea restam. Vtilibus insuda studijs, quibus non solum corpori prouideas necessaria, sed etiam mensâ morte horrenda seruetur immunis. Reuerturi ad propria breui tecum in Albiburgio tuo erimus, & quid nos vt audatius ista scriberemus premouerit sermone pandemus. Tu vero sciens nostrum in te amorem quam fecimus exhortationem non excraberis. Vale tui memor. Ex Berlin 20. die mensis Aprilis, Anno Christianorum M.D.VI.

L X I I.

SERENISSIMO PRINCIPI, IOACHIM BRANDENBURGENSIVM
Marchioni, Stetincensium ac Pomeranorum Duci, Rugensium Cassubique comiti,
principi Electori & c. Ioan. Tritheimus Abbas Span-
hemensis felicitatem.

QUARTADECIMA die mensis Maij Berlin oppidum residentia serenitatis tuæ, vt scis princeps clarissime, circa horam vndecimam exiui, & iuxta prædictiones Astrophi-
li nostri plura nobis contigerunt aduersa, sed miserante Deo euicimus omnia. Sex
namque diebus morbo calculi & vesica laborans grauiterq; afflictus remanere in Lypezig
coactus sum, & manibus me committere medicorum, quod antea feci nunquam. Cumque
venissemus ad Rhenum per satellites cuiusdam iniquissimi comitis incendiarij mona-
sterij Lypurgensis ego cum nuncio serenitatis tuæ famulisque meis & vno monacho me-
morati cœnobij exusti capti sumus in festo sanctissimæ Trinitatis circa horam vndecimam,
ductique in castellum vicinum. Eodem tamen sero cognoscentes me sub tuitione regia
custoditum omnes nos dimiserunt: causam propter quam nos cepissent afferentes non
aliam, nisi quod me negotijs combusti monasterij Lypurgensis fauentem arbitrarentur.
Qua contumelia factum est, sicuti ex tuo intelliges nuncio, quod neque ad Archiepi-
scopum Coloniensem, neque ad Treuerensem, sed neque ad Moguntinensem tuas per-
ferre commissiones potui. Agam tamen quamprimum, vt & tuas literas habeant & intel-
ligant voluntatem. De vero rebus nihil certi scribere possum, quousque cum excel-
lentissimo principe meo locutus fuero, qui nunc est absens, & statum fratrum meorum,
simul & mentes emulorum clarius intellexero. Nullatenus enim videbor in Spanhem, ni-
si cuncta prius obstacula remota fuerint. Quod si non fuerit æmulorum conuersa temeritas,
faciam alterum è duobus, aut reuertar ad te sicuti postulasti, aut eligam mihi locum
in ordine studijs meis conuenientem, vbi & possim tuam Serenitatem meorum facere stu-
diorum participem. Audisti me sapius dicentem quod sentio, quia curias sequi princ. pū,
nec meo conuenit proposito, nec plane congruit institutioni. Quæram ergo conuenien-
tem mihi in latitudine ordinis mei locum si fieri potest, quem si inuenire nequiuero, fa-
cturus sum necessario quod possum. Tuæ vero serenitati gratias habeo immortales pro
tuis in me amplissimis beneficijs non solum exhibitus, sed etiam amplioribus, si necesse
fuerit, promissis. Excellentiam tuam cum omnibus suis valere opto incolumem Nestoreos
in annos. Ex Heidelbergâ 18. die mensis Iunij. Anno Domini 1506.

L X I I I.

IOHAN. TRITHEM. AB. SPANHEM. DILECTIS IN CHRISTO
fratribus & filiis, Priori & conuentui in Spanheim, sinceram
in Domino charitatem.

DE Marchia Brandenburgensium tandem cum salute ad patriam reuersi, Theodori-
cum capellanum nostrum ex Francfordia præmissimus ad vos, quo ea referente quæ
illi commisimus, & statum intelligeretis nostrum & mentem. Qui retulit nobis Budorim
reuersus ad nos desiderium vestrum, quo precamini ad vos quantotius reuertamur, ne-
minem esse neque futurum qui nos molestare possit aut velit. Credimus quidem vera quæ
dicitis in cordibus vestris, æmulis tamen confidendum nõ duximus, quorum tanta in nos
presumptio à nemine iudicatur. Propterea sine consilio nihil faciemus, maxime cum qui-
dam inter vos ambitione, & infidelitate pleni Cynonotis consentire potius quam nobis
pastori suo conuincantur manifeste. Deum testamur omnipotentem, quem nihil potest
latere,